

gub



XXV. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XXVI. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XXVII. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XXVIII. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XXIX. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XXX. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XXXI. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XXXII. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XXXIII. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XXXIV. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XXXV. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XXXVI. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XXXVII. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XXXVIII. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XXXIX. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XL. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XLI. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XLII. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XLIII. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XLIV. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XLV. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XLVI. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XLVII. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XLVIII. Deinde dicitur, quod in hunc modum
XLIX. Deinde dicitur, quod in hunc modum
L. Deinde dicitur, quod in hunc modum



60.

M E M O R I A

V I R I

MAGNIFICI ET SVMME VENERABILIS

CHRISTOPHORI TIMOTHEI
SEIDELII

ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE
P R O R E C T O R I S

SS. THEOL. D. ET PROF. PRIMARIJ SERENISS. DVCIS BRVNOV.
ET LVNEB. A CONSILII ECCLESIAST. CAPITVLI IMPERIALIS
REGIO - LOTHAR. ABBATIS. SACRORVM HELMSTAD. ANTISTITIS.
ET VICINARVM ECCLES. SVPERINTENDENTIS GENERAL.
SOCIETATIS TEVTON. HELMST. PRAESIDIS

GOETTINGENSIS AC BREMENS.

SODALIS HONORARII

D. XXX MAII MDCCCLVIII

IN IPSA PVRPVRA DEFVNCTI
A V C T O R I T A T E

P R O R E C T O R I S E T S E N A T V S

ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE

P E R S C R I P T A

A B

IO. CHRISTIANO WERNSDORFIO

P. P. O.

HELMSTADII

LITTERIS VID. B. SCHNORRII



MEMORIA

DE

MAGNITUDINE ET VENERABILITATE

CHRISTOPHORI TIMOTHAEI

SPIDELII

ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE

PROFESSORIS

ST. THEOL. D. ET PROF. PRIMARI SECT. DIV. THEOL.

ET UNIVERS. A CONSULE PUBL. CAROLI IMPERATORIS

REGIS-BOHAE ABATIS SACRORVM HEMSTAD. ANTIQV.

ET UNIVERS. ECCLES. S. PATRIARCAE GENERAL.

SOCCITATE TAVON. HEMST. THEOL.

GOETTINGENS. AC. HEMST.

AD. HONORABIL.

D. XXX. M. LXX. CLVII.

IN LISA P. P. P. A. DE VINCTY

A. V. T. P. L. T. E.

PROFESSORIS ET SENATUS

ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE

RECTORIS

ET

IO. CHRISTIANO WERNERDORNO

RECTORIS

ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE





Amissimus in **CHRISTOPHORO TIMOTHEO SEIDELIO** Theologum et sacrorum Antistitem, qui in tradenda sanctiore disciplina **CHRISTI** honorem cultumque asseruit unice, et non solum fidem in eius merito defixam confirmare in animis hominum studuit, sed et commendatam perfectissimo exemplo eius caritatem et mansuetudinem rebus factisque, suo conuenientissimis munerj, demonstrauit

Tali in Seruatorem sanctissimum studio inter ueteres ecclesiae doctores praecipue se praebuit Vir diuini spiritus, s' **IGNATIUS** Martyr, eaque re nomen Θεοφορος uel Χριστοφορος ab antiquitate adeptus est.

A 2

Cuius

IV

Cuius quidem elogii rationem minus assequuntur, qui cum SIMEONE Metaphraste Ignatium, produnt, illum fuisse puerulum, quem CHRISTVS suis exceptum manibus, in exemplum demissi modestique animi, medium inter discipulos constituit. Haec enim explicatio ipsius uocabuli notionem migrat, et Θεοφόρον mutat in Θεοφορον, ipse autem Ignatius, quae uis ei nomini subiicienda sit, perspicue declarauit. Nam, ut acta eius martyrii testantur, cum adductus ad Traianum ipse se eo nomine appellasset, interrogatus, equis esset Theophorus, is, inquit, qui in pectore Christum gestat. Quae uerba sancti Viri fortasse ansam dederunt fabulae, a recentioribus quibusdam scriptoribus proditae, carnifices in dissecto Ignatii, morte cruenta defuncti, corde nomen IESV aureis litteris inscriptum reperisse. *) Manifeste huic traditioni repugnant acta eius martyrii sincera, quibus refertur, Ignatium Romam abductum, et feris bestiis obiectum, ita ab iis deuoratum esse, ut nihil eius reliqui, praeter ossa quaedam solidiora, fieret

Qua igitur mente Ignatius semet ipsum appellarit Θεοφόρον, e uerbis eius, quibus Traiano interroganti respondit, satis intelligitur. Etenim CHRISTVM suo consecratum pectore, eiusque cultu et honore nihil prius et antiquius se habere, profiteretur. Quam sententiam suam ipse reddit explicatiorem, cum ad Ephesios scribens, hos non solum Θεοφοροσ
uult

*) Vid. B I T T I G I I *dissertatio de Patribus Apostolicis*, §. LXXXVIII.

V

uult esse, sed etiam *υποφορος*, *Χριστοφορος*, *αγιοφορος*, κα-
 τα πάντα νεοσμημενος εντολαις Ιησου Χριστου. (**). Sequitur
 scilicet PAVLLI Apostoli sententiam, qua Christianos
 templum Dei esse, ab ipso Spiritu Sancto infes-
 sum, sancteque et inuiolate habendum, pronuntiat.
 Qua ratione constat non solum Ignatium, sed
 Christianos etiam et sanctos homines in uniuersum,
 subinde Θεοφορων nomine insignitos esse. Maxime
 autem cruentos ueritatis testes, Episcopos et docto-
 res ecclesiae, quorum in asserendo tuendoque hono-
 re CHRISTI praecipua laus esset, Θεοφορος ab antiquita-
 te pia usurpatos esse notuimus, ut plurimis sanctio-
 rum doctorum testimoniis approbavit IO. PEARSONIUS (†)

Eandem uim et significationem habet nomen
Χριστοφορος. Sic enim Ignatius semel uocatur in a-
 ctis eius martyrii, †) et hic ipse Ephesios suos prae-
 cipit esse *Χριστοφορος* perinde, ut Θεοφορος. Quin etiam
 praecipuae in ecclesia dignitatis et sanctimoniae uiri,
 martyres in primis et doctores, doctrinae Christianae
 uindices, hoc eodem elogio subinde efferuntur.
 Nam Phileas, scriptor antiquus apud EVSEBIUM (***)
 martyres eo nomine uocat, et ab interpolatore
 Ignatii PAVLLVS Apostolus *Χριστοφορος* audit ††)

Quamquam autem elogii sui sententiam, re-
 sponso suo ad Traianum, ipse explicauit Ignatius,
 A 3 ple-

**) S' IGNATIUS *epist. ad Ephes. cap. 9*

†) *In Vindiciis epist. Ignat. Part. II, cap. 12*

††) *Cap. IV*

***) *Lib. X, cap. 8*

†††) *In epist. Ignatii interpol. ad Ephes. c. 6*

VI
plenus tamen et luculentus, quatenus uis sit docto-
ris Xerisophis, ex ipsius scriptis intelligendum est. Qui
enim singulare cognomen et ipse sibi tribuit, et
a tota antiquitate accepit, huius, necesse est, is fue-
rit animus eo nomine expressus, qui in scriptis eius
genuinis etiamnum spiret. IGNATIVS igitur in epi-
stolis suis, quas paullo ante mortem cruentam in iti-
nere, Romam deducendus, scripsit, eum se sinit
doctorem ecclesiae, qui in doctrina Christiana id ma-
xime, quod summe necessarium est, spectet, et fun-
damentum arcemque ipsam salutis humanae praeci-
pue muniat et tueatur, IESVM CHRISTVM, ita
quidem, ut ea, quae ad eius personam, officium et
meritum pertinent, a corruptelis aduersariorum acriter
uindictet, animisque firmiter tenenda identidem
ineulcet, in reliquis autem, quae minus derogare
CHRISTO, aut curiosius quaeri uidentur, minus la-
boret, idque tantum curet sedulo, ut omnes fide in-
corrupta CHRISTO, capiti suo, colligati, exemplum
mansuetudinis ab eo propositum sequantur, et cari-
tatem inter se mutuam concordiamque colant. Hac
mente Trallianos iubet aures suas obturare, si quis iis
doctrinam afferat IESV CHRISTO uacuum, *) imo
non solum Iudaeos, CHRISTI inimicos, sed alios
etiam, qui de CHRISTO non loquantur, similes ait
columnis sepulcralibus et mortuorum monumentis,
quibus hominum nomina duntaxat inscripta sint, ut
qui uita et spiritu religionis, qui ab ipso CHRISTO
sit,

*) Epist. ad Trallianos, cap. 9.

lit, destituantur. **) Ad personam autem Seruatoris quod attinet, grauer inuehitur in eos aevi sui sectarios, qui CHRISTVM carne suscepta uere corporatum negabant, et tantum specie tenus distabant in terris uersatum esse. Hos, cum ipsum fundamentum salutis conuellant, et CHRISTI perpeffiones et meritum eleuent, appellat νεκροφορος, ut qui spe uitae per Christum recipiendae exciderint, et suum ipsi funus portent. ***) Quo uehementius autem detestatur malignos hos homines, hoc magis effert et commendat usum sacrae Eucharistiae, cuius omnis religio ueritate carnis et sanguinis CHRISTI nititur, grauiterque suos hortatur, ut pastu illo pietatis et sanctimoniae coelesti religiose frequenterque utantur, pharmacum immortalitatis appellans et antidotum, quo aduersus mortem muniamur, participesque uitae in IESU CHRISTO fiamus, †) eos contra, qui donum hoc Dei spinosis quaestionibus oppugnent, in his ipsis perire affirmat. ††) CHRISTO igitur in sanctioribus libris proposito, traditisque ab eo mysteriis, firma sincereque fide inhaerendum docet, alias uero doctrinae ambages, et subtiles quaestiones reiecit, quibus ea fi-

des

**) Epist. ad Philadelph. cap. 6: εαν δε αμφοτεροι περι Ιηου Χριστου μη λαλουν, ετοι εμει σηλους ειναι και ταφοι νεκρων, εφ' ος γεγραπται μοινοι ενομιματα ανθρωπων

**) In epist. ad Smyrn. cap. 5: Τι με εφαιει τις, ε εμει εταυνας, τον δε Κυριον με βλασφημεις, μη ομολογων αυτον σαρκοφορον. Ο δε τωτο μη λεγων, τελειος αυτον απρηνηται αν νεκροφορος

†) Epist. ad Ephes. cap. 20: Φαρμακον αδυναμειας, αντιδοτος τε μη αισηθυναν, αλλα εστι εν Ιηου Χριστω δια παντος

††) Epist. ad Smyrn. cap. 7: Οι αν αντιλεγοντες τη εδραει τε δια συζηταντες αποδηρησασι

des sollicitari soleat. Hanc sentiendi docendique ratio-
nem ipse appellat *Χρῆσιμαδιαν*, ††) eaque maxime se-
doctorem *Χρῆσιφορον* ostendit. †††) Intelligit nimirum disci-
plinam eam, quae CHRISTVM, humanae instaurato-
ratorem salutis, et ea, quae pro hominibus Deo re-
conciliandis ab eo suscepta et acta sunt, cruciatus,
mortem, restitutionem in vitam, fidem denique in
CHRISTI merito desigendam, sincere incorrupte-
que tradat, atque in his omnino acquiescendum iu-
beat, ††††) plane ad mentem S. PAVLLI Apostoli,
qui nihil se scire, nisi Christum, eumque cruci fixum,
Corinthiis profiteretur. *) Huic suae *Χρῆσιμαδια* IGNA-
TIVS τὴν ἐπίδειξιν opponit, ab eaque ut Christiani sibi
caueant, severe hortatur. ††) Qua scilicet animi im-
potentiam significat, quae mysteria salutis humanae,
in diuinis litteris proposita, curiosius scrutatur, ea-
que uel commentis humanae sapientiae corrumpit, uel
audacius uocat in dubium, et friuolis rationibus im-
pugnare audet, eaque re efficit, ut concordia eccle-
siae turbetur, et discessiones a coetu CHRISTI fiant.
Quemadmodum autem hanc animi affectionem ini-
micam concordiae, ipsique salutis, intelligit, ita con-
tra

††) *Epist. ad Philadelph. cap. 8.* Παρικαλι δε' εμας ἰνδερ κατ' ἐπιδη-
αν προσεον, ἀλλὰ κατὰ Χρῆσιμαδιαν

††††) I. c: Ἐμοὶ ἀρχαὶ ἐστὶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν ἀδιντα ἀρχαὶν ὁ σωτορ ἀντὶ
καὶ ὁ σωτορ, καὶ ἡ ἀνυσασὶς ἀντὶ, καὶ ἡ πισὶς ἡ δι' ἀντὶ. Vid. quae ad
hunc locum, sane difficilem, erudite commentatus est B. ALB-
MENO VERPOORTENNIVS in fascic. diss. ad Theol. et Phi-
lol. pertin. pag. 151, seqq. Gemina his sunt, quae leguntur in
epist. ad Magnes. cap. 11

*) 1 Cor. II, 2

††) *Epist. ad Philad. l. c*

tra in Χριστομαθια, quam profitetur, firmamentum re-
perit mansuetudinis et caritatis, spiritu CHRISTI di-
gnae. Qui enim doctrinam de Christo salutarem,
qualis legatorum eius scriptis traditur, illibata fide
amplectuntur, nec aduentitia aliorum commenta,
quibus sinceram doctrinam incrustare conantur, re-
cipiunt, ii et Seruatori suo amore deuincti, mansue-
tudinem, doctrina exemploque eius apprime com-
mendatam, ubique sectantur. Propterea alio loco
Trallianos monet, ***) ut solo Christiano alimento
utantur, ab aliena autem herba abstineant, quae sit
haeresis. Vocat autem alimentum Christianum do-
ctrinam, quae tota in CHRISTO nitatur, et bona coe-
lestia eius ministerio, perpeffionibus, et morte par-
ta, pure sincereque proponat. In his eam excellenti-
am coelestis sapientiae, eam benignitatis et misericor-
diae diuinae ubertatem, eam uim solatii reperit, ut
iis plene se refici et exsaturari ad uitam aeternam fen-
tiat, et cramben ab humana appositam sapientia mi-
nus requirat. ****) Hic autem patus diuinus cum
plenissime in sacra synaxi percipiatur, tum huius
frequentationem sancti epuli ante omnia praecipit,
quo fides alatur et caritas, in quibus uis ipsa Chri-

B stia-

****) *Epist. ad Trall. c. 6.* Μογη τη Χριστιανη τροφη χηροθαι, ελλοτρημο
de βοτανις ανεχουθαι

*****) Sic enim hoc alimentum diuinum plenius describit,
Epist. ad Rom. cap. 7. Panem Dei uolo, panem coelestem,
panem uitae, qui est caro IESV CHRISTI Filii Dei, qui po-
steriori tempore ex semine Dauidis et Abrahami natus est: et
potum Dei uolo, sanguinem ipsius, qui est caritas incorrupta
et perennis uita

x
stianismi uersatur. †) Itaque S. IGNATIVS pectus
ostendit, quod plane deuotum CHRISTO totum eius
amore redundet, totumque mansuetudinem et carita-
tem, imitatione CHRISTI expressam, in hominibus
ad salutem adducendis, spiret, uereque adeo se prae-
beat Χριστοφορον

Doctorem ecclesiae, haecenus e s. IGNATIO in-
formatum, adeo praestitit CHRISTOPHORVS TIMO-
THEVS SEIDELIVS, ut uim sui nominis expressisse,
et elogium Theologi ΧΡΙΣΤΟΦΟΡΟΥ meruisse uidea-
tur. Eum enim uidimus in utroque munere, quod
in suggestu sacro et aroaterio Academico ges-
sit, eo doctrinae genere uti, quod missis subtilio-
ris sapientiae tricis, CHRISTVM maxime, et propiti-
atum eius satisfatione Deum, e diuinioribus litteris
demonstraret, eum fide recipiendum et consecran-
dum pectore suaderet, et grande exemplum mansue-
tudinis et caritatis, in uadimonio pro hominibus sus-
cepto conspicuae, ad instruendum sanctioris uitae
cultum, omnium animis propinaret. Quamquam
enim in omnibus aequae partibus doctrinae sanctioris
elaborauit, eamque multarum litterarum instrumento
uariaque eruditione exornauit, tamen pro sacerdotii,
quod sustinebat, officio ea maxime argumenta per-
secutus est, quae salutem hominum propius spectant,
quae fidei et pietatis CHRISTO deuotae sensum in a-
nimis

†) *Epist. ad Trall. cap. 8: 'Υμεις ἐν πρῶτονθεν ἀναλαβόντες ἀντιμισ-
σθε ἑαυτοὺς ἐν νύκτι, ὅ ἐστιν σαρξ τῆς Κορῆς, καὶ ἐν ἀγάπῃ, ὅ ἐστιν αἷμα
Ἰησοῦ Χριστοῦ. Itaque mansuetudinem assumentes recreate uosmet
ipsos in fide, quod est caro Domini, et in caritate, quod est san-
guis Iesu Christi*

nimis hominum aut excitant aut confirmant, quae mores hominum sanctimonia, ad regulam CHRISTI composita, imbuunt, quae denique mysteria et religiones edocent, quibus quasi pignoribus diuinitus datis animi Christianorum Seruatori suo arctius coniunguntur. Huius generis meditata non solum pro concione exposuit plurima, sed etiam libris in publicum editis explicauit, cum et rationem iuuentutis salutaris doctrinae rudimentis instituendae docuit, et doctrinam morum et disciplina CHRISTI tradidit, maxime autem cum sacri epuli conuiuas sanctioribus praecipis instruxit, ut fructum salutaris perpeffionis et mortis CHRISTI, pastu illo diuinitus tradito, caste religioseque aduentes, perciperent, et ad uitam aeternam alerentur. Quae sanctiora animi instituta hoc libentius persequeretur, quo magis ipse amore CHRISTI, et hominum, quorum salus curanda esset, ducebatur. Nihil enim eius moribus amabilius dulciusque fuit, nihil humanitate et mansuetudine conditius, assidueque in dictis factisque suis id modestiae et lenitatis studium ostendebat, ut optimum illud caritatis exemplar, et summum mansuetudinis auctorem IESUM CHRISTVM, i ferre in oculis, gestare in pectore uideretur. Noscebamus sane in SEIDELIO talem ecclesiae Antistitem, qualem S. IGNATIUS Polybium, Trallianorum Episcopum, commemorat. Sic enim ad Trallianos scribit: *Exemplar caritatis uestrae accipi, et mecum habeo, in episcopo uestro, cuius ipse hic animi habitus magna disciplina est, mansuetudo autem ipsius potentia.* †) Erat quippe in caritate SEIDE-

†) *Epist. ad Trall. c. 3: Το εξειμλαριον της αγουης εμων ελθεον, κρη*

LII μεγάλη μαθησία, quod hac ipsa docere in suggesto, omnemque suam doctrinam moderari uidebatur, quod uim diuinæ φιλοσοφίας, in CHRISTO reuelatae, hoc suauius insinuabat animis, quo ualidius ipse eius sensu tangebatur, quod denique exemplo suo animos ubique ad eandem uirtutem conformabat. Neque minus πεποιθής SEIDELII uis quaedam erat et δύναμις. Quae scilicet intellecta satis omnibus, qui eum propius nossent, dicta eius et mores, ab omni asperitate alienos, ea affectit dulcedine, ut in animos hominum suauissime influeret, eosque ui quauis alia potentius pertractaret. Eam animi mansuetudinem, a natura instam, CHRISTI disciplina castigauit magis et sanctiorem reddidit, eoque uere se praebuit Theologum Χριστοφύγον, ut qui pectus et religione CHRISTI plenum, et spiritu temperatum gereret.

Atque eam sanctimoniam a tenera inde aetate induere animo et confirmare studuit, cum sanctioribus munitis, in coetu CHRISTI gerendis, destinatus a Patre, iis imbueretur praeceptis, quae sensum diuinarum rerum mature ingenerarent, animumque religiosius instruerent. Habuit autem patrem, pietatis et sanctimoniae laude in primis conspicuum, CHRISTOPHORVM MATTHAEVM, qui sacerdotio primum in Saxonia, Marbachii prope Dresdam et Wolkenburgi, deinde in Marchia Brandenburgica Schoenbergae religiose functus, mox idem cum dignitate sacrorum Inspectoris Tangermundae et Brandenburgi gessit, tandemque Berolini, auctus

ἔχω μετ' ἐμάντι ἐν τῷ ἐπισκοπῶ ὑμῶν, ἡ αὐτο το κατὰ τὴν μεγάλην μαθησίαν, ἡ δὲ πεποιθής αὐτῆς δύναμις.

auctus sacris honoribus, Pastor ad D. Nicolai, Prae-
 positus et Inspector, Regiae item sodalitati litterariae
 adscriptus, anno clb^oCCXXIII in magna hominum
 existimatione decessit. Genus hic duxit ab antiqua
 nobilique stirpe Seideliorum, qui in varias diffusi fa-
 milias in Heluetia, unde feruntur oriundi, in Alsatia,
 Austria, Saxonia, aliisque prouinciis Germaniae, se-
 des fixerunt, uariisque in ministeriis cum Caesarum,
 tum Principum Electorum Saxoniae et Brandenbur-
 gi, rebus domi forisque praeclare gestis, multam no-
 minis sui existimationem adepti sunt. Quam gentis
 Seideliae antiquam nobilitatem, historia eius singula-
 ri libello exposita, paucis abhinc annis demonstrauit
 GEORG. GOTHOF. KVSTERVS, Gymnasii Fri-
 dericiani, quod Berolini est, Rector. Sigillatim ma-
 iores eius familiae, ex qua ortus est Noster, ante fu-
 nestum illud bellum tricennale praedia et possessiones
 suas habuerunt in Saxonia, Priesnitii prope Numbur-
 gum, sed iniuria temporum, et iniquioribus fatis,
 de pristinae fortunae statu deiectioni, splendorem paul-
 latim sui generis amiserunt. Habuit CHRISTOPHO-
 RVS MATTHAEVS, pater Nostri, uxorem CHRI-
 STINAM, DANIELIS KÜHNII in ciuitate Dippoldis-
 waldensi Praetoris, filiam, primi statim sacerdotii,
 quod Marbachii gerebat, initio ductam, quae mira
 uteri felicitate ter et decies eum patrem fecerat. Su-
 perstites autem ei fuerunt tres tantum filii, totidem-
 que filiae, e quibus Noster, CHRISTOPHORVS TI-
 MOTHEVS, filius natu minimus, Schoenbergae in
 Marchia Brandenburgica die XX Septembris A. O.
 R. clb^oCCIII lucem adspexit. Horum in conspectu

et consuetudine parentum Noster a prima aetate domi perpetuam quasi scholam pietatis habuit, cum et in uita exemploque eorum imaginem uideret animi ad sanctitatem compositi, et continuis eorum praeceptis, ad religionem et obsequium, CHRISTI disciplinae praebendum, conformaretur. Quo animo parentum fiebat, ut mature de filio doctrina liberali instituendo cogitarent. Prima autem fundamenta litterarum posuit sub Rectore FESSELIO in schola ciuitatis Tangermundanae, ubi tum pater eius officio Inspectoris sacrorum fungebatur. Qui cum aliquot post annos Brandenburgum ad eadem sacra munia obeunda deferretur, Noster auditionibus in schola publica eius urbis, cui tum GOTTSCHLINGIUS praeerat, frequentandis haud infelices in bonis artibus progressus fecit, ita quidem, ut mox in Salderianam scholam, in altera eiusdem nominis urbe, quae antiquior dicitur, florentem se conferre, et in disciplina CARSTADII Rectoris, interioribus litteris addiscendis dare operam posset.

Multa igitur cum industria iis in studiis uersatus, quibus puerilis aetas exerceri solet, anno clb^oCC. XIX, cum sextum et decimum aetatis annum uix superasset, iam instructus satis idoneusque uidebatur, qui Academicis se committeret spatiis. Destinauerat autem operam suam diuini sapientiae, cum animi sui propensione permotus, tum hortatu exemploque patris adductus, qui suos ea maxime disciplina cupiebat imbui, quae animum uirtutis et sanctimoniae cultu instrueret, et a labe improbitatis magis prohiberet. Huius recte percipiendae causa proficisce-

ciscebatur in Academiam Ienensem, scholas Philosophicas SYRBII, Theologicas BVDDEI frequentabat, et quod praecipuo litterarum Orientis studio ducebatur, dabat se in disciplinam summi in eo eruditio- nis genere Philologi, IO' ANDRAEAE DANZII, cuius simul hospitio et conuictu utebatur, quo maiorem ab eo proficiendi facultatem haberet. His enim et aliis disciplinis, quae Theologum ornant, maiore cum cura accommodabat animum, quod constitutum apud se habebat, uitam producere Academicam, atque excolendis docendisque eiusmodi disciplinis se addicere. Rationes tamen eius a. clb. CCXXI quodammodo turbari uidebantur subito Potentissimi Regis iussu, quo coram imperauerat, ut relicta Ienensi Academia in Halensem se conferret. Huc igitur profectus totum se sanctioris disciplinae studiis dedit, et acroasibus celeberrimorum Theologorum, FRANKII, MICHAELIS, ANTONII, BREITHAVPTI, HERNSCHMIDII, LANGII assiduus interfuit. In eadem Academia anno clb. CCXXII publicum doctrinae experimentum bis edidit, dissertationem propositam disputando excutiens, semel quidem, dirigente IO' IOACH' LANGIO, *de immortalitate animae ex lumine naturae demonstrata*, et iterum, D' LANGIO moderatore, *de iustificatione contra Poirerum*. Et diutius quidem hoc in studio Academicarum exercitationum decurrisset, nisi interueniens Parentis valetudo fuisset impedimento. Haec enim cum insequente anno domum reuocasset Nostrium, mox adegit, ut consilium uitae Academicae persequendae abiiceret. Nam Patrem tam male affectum corpore, et prostratis uiribus languen-

guentem inuenit, ut officii sui esse diceret, aegrötum, quacunque ope posset, alleuare, et partem aliquam subire sacri muneris, quod ipse Pater administrare non posset. Coepit itaque patris loco subinde sacros sermones ad populum habere, hocque officium ei tam bene cessit, ut coetus, commendatione oris eius et multa aliarum uirtutum significatione captus, optaret eum patri sanctioris muneris socium adiungi. Sed modestia animi singularis et uerecundia aetatis, uicesimum annum nondum supergressae, continebat iuuenem, quo minus tam ardui splendidique muneris honorem aut desideraret, aut oblatum reciperet. Qua pariter animi moderatione fiebat, ut, cum paruo interiecto tempore ad officium Diaconi in ecclesia, quae Custrini est, uocaretur, idem munus ut sua exspectatione maius declinaret.

Interea temporis, cum Pater decessisset e uita, statuit ad fratrem maiorem se conferre, qui Schaumburgi in noua Marchia sacerdotioungebatur, eo consilio, ut crebra exercitatione concionum sacrarum habilem se redderet sacris muniis apte aliquando obeundis. Accidit hic, ut Generosissimus de BURG-DORF, in pedestribus Regis copiis Centurio, uerba de suggestu sacro facientem audiret, et eximiis animi dotibus, quae ex oratione SEIDELII elucebant, oblectatus eum ad sacerdotium in coetu sacro, qui Goerlsdorfii prope Francofurtum ad Oderam est, suscipiendum uocaret. Adiit hoc munus medio anno MDCCXXIV, sollempni prius cerimonia Berolini sacerdotio initiatus. Sed annum in eo cum uix exegisset, aliud idemque speciosius sacerdotium in uico Starl-

Starlsiedel, inferioris Lusatiae, offerebatur, quod libenti animo receperat, nisi Regis intercessisset edictum, qui SEIDELIVM terris suis exire uetabat, eumque breui meliore loco constituendum clementissime pollicebatur. Nec defuit dicto Regio fides, cum altero post anno lautio rem prouinciam acciperet, et sacris in uico Velefans, qui haud procul Berolino abest, administrandis admoueretur.

Huc usque igitur rebus satis ex uoto fluentibus, et fortuna nec fera nec lenta usus erat SEIDELIVS, ea studiorum suorum praemia prima fere adolescentia adeptus, quae alii, multo etiam serius, tam pulchra accepisse sibi merito gratularentur. Primo enim muneris admotus erat anno aetatis primo et uicesimo nondum expleto, et oblati uno alteroque post anno aliis melioribusque conditionibus, celeriter se promoueri augerique sentiebat. Neque tamen in his, quae contulerat, acquiescere fortuna uidebatur, sed posthac diligentius ad ornandum amplificandumque SEIDELIVM, nec opinantem, procedebat. Erat ei an. MDCCCXXXVIII negotium in aula Guelferbytana expediendum, quod sua suorumque cognatorum multum intererat. Eo igitur profectus, in notitiam uenit Serenissimi Ducis AVGVSTI GVILIELMI, quo praesente cum sermonem sacrum pro concione habuisset, ita insinuat us est clementi Principis animo, ut consilium iniretur de SEIDELIO retinendo ornandoque. Res eo deducta est, ut ei prouincia Theologiae in Academia docendae, et summi in dioecesi Helmstadiensi sacrorum Antistitis, in antecessum decerneretur. His enim muneribus quod

C

tum

rum praecerat FRIDERICVS WEISIVS, iam deuexa et extrema in aetate constitutus, huic placuit SEIDELIVM in utroque officio socium adiungere. Simul autem collata ei est dignitas Abbatis monasterii Regio-Lothariensis. His destinatus honoribus uenit Helmstadium a. cl. 15 CC XXIX, singulaque munera sibi demandata proximo anno auspiciatus est. Primo enim ab Ordine Theologorum gradu Doctoris auctus, quem inter alia doctrinae, quae edi solent, documenta dissertatione *de inuestigatione attributorum Dei*, publice defensa, promeruit, mox ipso die, qui memoriae CHRISTI in coelum euecti sacer est, in splendidissimo SERENISSIMI SERENISSIMAEQVE DVCIS, et illustrium aulae Procerum, confessu, sacro muneri Abbatis Regiae Lutterae in templo coenobii sollempni cerimonia inauguratus, et porro die dominica XVIII post festum SS. Triados eiusdem anni in templo S. Stephani Helmstadiensi ad munia Sacerdotis primarii et sacrorum Antistitis obeunda ritu publico introductus est. Anno posthac cl. 15 CC XXXV his officiis, in quibus WEISIO Seniori sociam operam adhuc praestiterat, hoc de uita decedente, solus fungi coepit.

Ita quidem honores amplissimos susceperat SEIDELIVS, nec uero minorem munerum amplitudinem et laborum cumulum. Eos tamen, quantum ualetudo saepe tenuis permittebat, sollerti patientique animo peregit, idque maxime in omni rerum functione dedit operam, ut honorem diuini Numinis et doctrinae salutaris cognitionem amplificaret. Postremis uitae suae annis saepius incommoda uoletudine fuit, et uaria tenaci-

nacique infirmitate confectus est, quae haud raro impedimento fuit, quo minus officii sui partes constanter assidueque implere posset. Quod autem caussaria hac uacatione publicis officii negotiis detractum erat, hoc largius compensabat priuatim utilissimis commentationibus, operam suam libris conscribendis accommodans, quibus optima diuiniore sapientiae capita curatius explanauit, et pietatis religionisque sanctioris studium excitare et alere in animis aliorum annisus est. Huius generis libros quam plurimos edidit, non sine approbatione hominum receptos, usque temporis utiliter collocati, studiique sui bono aliorum, pro affectae ualitudinis ratione, inserviendi abunde fidem fecit.

In collegio professorio, quod per octo et uiginti annos ornauit, praecipua dignitate et loco floruit, multiplicium meritorum amplitudine, honorum ornamentis, et nominis celebritate in primis spectabilis. A discessu IO. LAVR. MOSHEMI princeps Senatus Academici, Ordinisque sui, eminuit, atque hoc anno, LAVRENTIO HEISTERO defuncto, Senioris Academiae locum cepit, nec tamen amplius sesquimensis tenuit, fato ipse suo paullo post occupatus. Ad ea munera quod attinet, quorum uices permutari solent, Decurionis in ordine Theologico officium pluries gessit, magistratu Academico quater functus est, annis scilicet c101c CCXLII, XLVI, XLVIII, et LVIII, atque in horum extremo decessit. Anno c101c CCXLIX, cum in hac Academia collegium institutum esset sodalium, qui ad excellendas litteras Germanicas operam conferrent, idque

a SERENISSIMO PRINCIPE diplomate et legibus confirmaretur, S. R. SEIDELIVS eadem auctoritate huius sodalitatis Praeses constitutus est, eamque die XX Iunii sollempni ritu inauguratam deinceps cura sua et consilio rexit. Simili indulgentia PRINCIPIS anno proximo SEIDELIO is honos accessit, ut rerum ad ecclesiam et synedrium pertinentium Consiliarius appellaretur. In multiplici autem munerum suorum functione, pro temporum officique ratione, quae scribendi materiam offerebat, uaria eruditi lectique argumenti scripta edidit, quae quoniam continua oratione singula recensere non conuenit, singulari indice seorsim enarranda seruamus. Ceterum in talibus commentationibus non minus, quam in reliqua munerum administratione, et in omni consuetudine uitae, singularis eminebat caritatis et mansuetudinis gratia, quae praecipua animi eius dos erat, et omnia eius dicta et facta ornare, iisque ad conciliandos et commouendos aliorum animos eximiam uim et efficacitatem commodare uidebatur.

Atque haec acquabilis animi lenitas maxime in extremis uitae eius, et inter cruciatus morbi molestissimos ita spectata est, ut exemplo et admirationi esset. Contraxerat autem B. SEIDELIVS primam ualitudinis, grauius posthac afflictæ, labem ante hos duo annos ex inopinato uehementique casu, cum forte per laeue lubricumque solum incedens, fallente uestigio, terrae affigeretur. Malum inde corpori allatum initio quidem lenius uisum, sed deinceps ingravescens, cum opera Chirurghi saepius uarieque tra-

Stan-

xxi

Eandem esset, acutissimos dolores creauit, et tandem aegre sanatum eam debilitatem reliquit, ut uires corporis semel attenuatae nunquam postea ad iustam firmitatem redirent. Obseruauit Vir Illustris et Experientissimus, IO^h GOTTLOB KRÜGERVS, qui aegrotto SEIDELIO curam operamque medicam praestitit, et quo referente haec accepimus, praecipuam pertinacissimi morbi materiam accessisse fluxum haemorrhoidum inordinatum. Quae quidem olim cum recte succederent, bonam SEIDELIO ualitudinem praestabant. Sed ab aliquot inde annis cum turbari uices profuuii, atque hoc modo nimium euenire, modo plane cessare coepisset, uaria inde incommoda extiterunt, quae illud malum comitari solent, quibusque Vir beatus hoc grauius infestatus est, quod a natura in eo sanguis abundabat. Affligebant subinde cruciatus colici et exanthemata, quae dicuntur, scorbutica in facie, manibus et pedibus explicabantur. Quibus grauatus molestis cum se publicis subduceret negotiis, et domi sellae lucubratoriae affixus meditando scribendoque plurimum temporis consumeret, nec, quantum satis esset, mouendo corpori uacaret, fieri non poterat, quin intestinum malum, circulatione sanguinis in abdomine impedita, magis magisque inualesceret. Graui deinceps et uehementi commotione animi, ut Vir beatus narrauit ipse, factum est, ut fluxio haemorrhoidum plane supprimeretur. Exinde accedere morbus arquatus, et paullo post turgere pedes, qui cum nulla medicamentorum uirtute possent corrigi, et in dies magis intumescerent, tandem

dem hydrops ascites intuluit, tunc intestinorum iam nimium attenuato, nullis remedijs coercendus, et uitae finem afferens. Aditum mortis sane duriores longioremque habuit, inter multiplices cruciatus uariorumque morborum, inuicem se excipientium, accessiones, quasi per eodum uiarum anfractus, lento difficileque gradu deductus ad exitum. In his tamen confirmato tranquilloque animo durauit, nullo, ne mortis quidem iam uicinae, timore perturbatus. Quin integris sensibus et mente bene composita ad extremum spiritum usus, curam magistratus Academici, quem gerebat, per ipsa inualescentis morbi et uitae iam inclinantis momenta continuauit. Triduo tamen ante mortem, iam certus demigrationis suae e uita, quo facilius, abdicata rerum humanarum cura, coelestium contemplationi uacaret, munia et ornamenta consulatus Academici decessori suo remisit, animum suum sacrosancto corporis et sanguinis CHRISTI uatico recreauit, Coniugi liberisque dulcissimis aduocatis, cum multa tenerrimi amoris significatione, mandata dedit, et ultimum uale dixit. Obiit III. Cal. Iulias mane ante horam tertiam audiatam, exitum patet placidissimum, et, cum lenius condormiuisse uideretur, inter quiescendum extinctus.

Familiam reliquit numerosam, quae praesidium suum, decessu Patris indulgentissimi mature, nimis amissum, iam acerbissime luget. Bis autem matrimonium inuit B. SEIDELIUS. Primum quidem nuptias celebrauit sub initium sacerdotii, paullo ante suscepti, anno 1699 CGXXIV cum lectissima uirgine

ne CATHARINA SOPHIA, patre nata IOANNE
 FRIDERICO KALBERSPERGERO, praefecturae
 Lebusii curatore Regio primariae dignitatis. Ex hac
 uxore duo suscepit liberos, quos tamen una cum
 matre intra biennium amisit. Itaque desolatam do-
 mum nouo coniugio fulciendam ratus, anno c160CC
 XXVII iunxit sibi ornatissimam uirginem ANNAM
 ELEONORAM, MATTHIAE LIZMANNI, prae-
 fecturae Regiae, quae maior minorque Zieten a di-
 citur, Praefecti filiam. Huius, nunc uiduae moe-
 stissimae, matrimonium, per integros triginta annos
 concorditer actum, praecipua fertilitate copiosum
 fuit. Tulit enim decem et tres liberos, e quibus
 mortui sunt hi, Brandanus Fridericus Petrus, Doro-
 thea Ioanna, Samuel Fridericus Ehrenreich, Chri-
 stophorus Matthaeus Philippus, Gottlieb Eleonora;
 supersunt autem sex filii, filiaeque duae, Christopho-
 rus Matthias, Christina Sophia Elifabeta, Ioannes
 Augustus, Eleonora Ludouica Carola, Carolus Lau-
 rentius Timotheus, Ioannes Bernhardus Laurentius,
 Guilielmus Georgius Christophorus, Marcus Iacobus
 Henricus. Horum natu maximus in iudicio militari
 legionis equestris caussis audiendis et in commentari-
 os referendis operam praestat, Senatus item ciuitatis
 Helmstadiensis a libellis et assessor est, simulque uice
 Syndici fungitur multa cum laude. Huic proximus
 Doctoris Medicinae laurea decoratus Hamburgi ar-
 tem salutarem exercet. Tertius ordine, in militia Brun-
 swicensi, uexillarii officio stipendia facit: reliqui in
 spem doctrinae et laudis adoleseunt. Filiarum natu
 maior

maior an. clb CCL Viro maxime Reuerendo ANTONIO KÜHLIO, ecclesiae Hamburgensis ad D. Iacobi sacerdoti religiosissimo, nuptrum collocata, Patri adhuc sex nepores dedit, e quibus filius filiaeque duae in uiuis sunt

Quantum huic familiae praesidium, tantum Academiae et ciuitati ornamentum decessu SEIDELII ereptum est. Nec defuerunt hae officio Prorektoris et Antistitis sui memoriae persoluendo. Humatus est in templo S. Stephani, et die XI Iunii, quae in sanctioribus fastis dies dominica III post festum SS. Tridossus fuit, sermone funebri ab Archidiacono ecclesiae Helmstadiensis meritissimo, ASCANIO CHRISTOPHORO MEELBAUM, pro concione habito funus eius celebratum est. Academia uero, iussu SERENISSIMI PRINCIPIS, eodem ritu luctum publicum testata est, quo ante hos quatuor annos, mortuo Prorectore usa fuerat. Integro mense post eius mortem elapso, ad diem III Iulii exsequiae sollemnes ab Academia institutae, et celeberrimo omnium huius urbis ordinum officio, frequentissimoque hominum concursu in templo Academico, quod Porta coeli dicitur, MAGNIFICI SEIDELII manibus inter lectus et concentus musicos ab oratore Academiae IO. CHRIST. WERNSDORFIO laudatione funebri parentatum est. Notatuque dignum fuit, quod cum B. SEIDELIVS annis abhinc undecim Prorektoris Academiae IO. FRIDERICI CRELLII, in ipso magistratu defuncti, et uices subiisset, et memoriam oratio-

XXV

ratione parentali nomine Academiae celebrasset,
nunc, insigni vicissitudinis in rebus humanis docu-
mento, ipsi Prorectori idem officium, eodem in
loco, persoluendum esset

Dolemus fatum Academiae, quae superioribus
annis tot ornamentis suis orbata est, duo Prorectores
extulit, atque intra biennium singulorum ordinum
doctores amisit. Deum precamur, ut incommoda
et detrimenta fortunae ab Academia auerrat, eam-
que rebus secundis et ubique florentibus uti sinat,
domum autem Seideliam, grauiiter afflictam et pa-
terno destitutam praesidio, ipse tuendam fouendam-
que suscipiat, et omni genere prosperitatis ornent.

in Academia Julia Carolina,

die XXX Septembris A. O. R.

cl. l. CC. LVIII

S C R I P T O R V M

CHRISTOPHORI TIMOTHEI

SEIDELII

I N D E X

I. *Disput. de immortalitate animae ex lumine naturae de-
monstrata.* Praes. M. Io. Ioachim Langio. Halae

D

Disp.

xxvi

- II. Disp. de iustificacione contra Pairetum. Praef. D. Iosachimo Langio. Hal. 1722.
- III. Predigt: Das erfreuliche Wiedersehen der Glaubigen in jenem Leben. Berlin 1726.
- IV. Predigt von der Verläügnung sein selbst, zu Wolfenbüttel gehalten. 1729.
- V. Disputatio inauguralis, pro licentia summos in Theologia honores consequendi, de inuestigatione attributorum Dei. Helmst. 1730.
- VI. Disp. de Pontificiorum in ritu confirmationis a praxi primae ecclesiae aberratione. Resp. I. H. Kiliani. Helmst. 1732.
- VII. Die Abrede des sterbenden Jesu mit seinem Vater wegen seiner Seele, aus Luc. XXIII, 43. Eine Leichen-Predigt. 1735, fol.
- VIII. Der Ausspruch des heiligen Geistes von der Hoffnung, die wir von den Verstorbenen haben sollen. Leichen-Predigt auf die Frau von Looschen. 1736. fol.
- IX. Programma: Veritas religionis Christianae ex operationibus Spiritus Sancti ordinariis demonstrata. 1737. fol.
- X. Zuschrift von dem Zweck des Briefes Pauli an die Epheser. 1738.
- XI. Themata von gehaltenen Predigten. Helmst. 1739. 8.
- XII. Gedanken über die zwey Fragen: 1) Ob Gott dem Menschen eine Stunde zur Bekehrung gesetzt habe? 2) Ob ein Mensch urtheilen könne das er werde selig oder verdammt werden. Helmst. 1741. 8. pt. 10.
- XIII. Programma de ignoratione immortalitatis animorum, resituentorum corporum, et diversae hominum post haec saecula conditionis, Iobis eiusque aeo a Io. Clerico temere impacta, Helmst. 1742. Theo.

- XXVII
- XIV. *Theologia Vet. Testum. de Spiritu S* Programma Pen-
tec. 1742.
- XV. *Der Apostel Paullus als ein grosser Rechtsgelehrter.* Leichen-
Predigt auf Herrn Hofrath Kressl. Helmst. 1741. fol.
- XVI. *Anweisung welches die wahre Methode zu catechisiren
sey.* Helmstadt, 1742, 1748. 8. pl. 12.
- XVII. *Anweisung zum würdigen Gebrauch des heiligen A-
bendmahls.* Helmst. 1743, 1747, 1756. 8. alph. 1. pl. 4.
- XVIII. *Abhandlung von unerkannten Sünden.* Erste Ab-
theilung Helmst. 1744. 8. pl. 11. Andre Abtheilung,
ibid. 1745. pl. 14.
- XIX. *Disput. de primo primorum hominum peccato.* A. resp.
Iust. Willh. Christ. Chryfander. 1744.
- XX. *Disput. de peccato malorum angelorum.* Resp. Io. Iul.
Behm. 1745.
- XXI. *Programma de ignoratione immortalitatis animorum,
restituendorum corporum, et diuersae hominum post haec
saecula conditionis, Dauidi et populo Israelitico a Io. Cle-
rico temere impacta.* 1746.
- XXII. *Programma de inhabitatione Spir. Sancti, resuscitatio-
nis corporis fidelium fundamento.* 1746.
- XXIII. *Zeugnisse von der Wahrheit vor die itzige Welt.* Er-
ster Theil. Helmst. 1746. 4. alph. 1. pl. 16.
- XXIV. *Oratio de quaestione: an Deus decreuerit animam
post mortem annihilare aut conseruare? memoriae Io. Fri-
der. Crellii, Academiae Prorektoris, consecrata, cum
programmatae in eius obitum.* Helmst. 1747. fol.
- XXV. *Sendschreiben vom Seelen-Schlaffe.* Helmst. 1747. 4.
pl. 5.
- XXVI. *Oratio de Academia non diffamanda.* 1748. 4.

xxviii

- XXVII. Progr. ad lectiones cursorias Io. Ern. Schuberti, de commodis in ecclesiam ex iis doctoribus redundantibus, qui gradu Doctoris ornati sunt. 1748.
- XXVIII. Progr. ad lectiones cursarias Ott. Nathan. Nicolai, de quaestione: *an Facultas in uno consistere possit.* 1747.
- XXIX. Progr. de quaest. *An Christus pascha suam ultimum s. σωτηριον una eademque die cum iudaeis comederit, nec ne?* 1748.
- XXX. Progr. de quaest. *An et quomodo Spiritus S. fidem in infantibus baptizatis operetur.* 1748.
- XXXI. Abhandlung von der Secte der Elcesaiten. Helmst. 1749. 4. pl. 5.
- XXXII. Abhandlung von der Secte der Charurgiten. *ibid.* 1749. 4. pl. 3.
- XXXIII. *Pastoral-Theologie.* Helmst. 1749. 8. alph. I. pl. 15.
- XXXIV. Inuitatio ad inaugurationem noui Rectoris scholae oppidanae Helmst. I. Petri Milleri. 1750.
- XXXV. Programma auf den Stiftungstag der Herzogl. Deutschen Gesellschaft in Helmstadt. 1750. fol.
- XXXVI. Programma zu der Rede der Deutschen Gesellschaft auf das hohe Geburtsfest des regierenden Herrn Herzogs Durchl. 1750. fol.
- XXXVII. Progr. zu der Rede der D. Gef. auf das Stiftungsfest der Iulius Carls-Hohen Schule.
- XXXVIII. Rede auf die hohe Vermählung Sr. Maj. des Koenigs von Dännemark Friedrich V, und Fr. Iulianen Marien, geb. Herzogin von Braunsch. und Lüneb. im Nahmen der Herzogl. Deutschen Gesellschaft gehalten. Nebst der Einladung dazu. 1752. fol. pl. 9½.
- Gründ-

- XXXIX. *Grundriß von heiligen Reden über die Evangelia*
Erfter Theil, Halle, 1753. Zweyter Theil 1754. Dritter
Theil 1725. 8.
- XL. *Exegetische und Homiletische Abhandlungen über die
Sonn- und Festtags-Evangelien.* Erfter Theil, Halle,
1754. Zweyter und dritter Theil 1755. Viertder und fünf-
ter Theil 1756. 8.
- XLI. *Exegetische und Homiletische Abhandlungen über die
Sonn- und Festtags-Episteln.* Erfter Theil, Halle, 1753.
Zweyter Th. 1754. Dritter und vierdter Theil.
1755. 8.
- XLII. *Verttheidigung seines Sendschreibens vom Seelenschlaf,*
gegen die wieder dasselbige herausgekommene Verthei-
digung eines ungenannten. Halle, 1754. 8. pl. 10½.
- XLIII. *Vermischte Reden auf bobē Häupter, oder in Höchft-
derofelben Gegenwart gehalten.* Halle, 1753. 8.
pl. 12.
- XLIV. *Heilige Reden bey besondren Fällen gehalten.* Erfter
Theil, Braunschweig, 1755. Zweyter Theil *ibid.*
1756. 8.
- XLV. *Disput. de peccato in Spiritum S. ad Ebr. VI, 4,*
sqq. A. et R. Io. Franciscus Wagner. 1755.
- XLVI. *Ordnung des Heyls nach einer catechetischen Me-
thode Lehr- und Lernenden entworffen.* Erfter und
Zweyter Theil, Halle, 1754. Dritter Theil 1756. 8.
- XLVII. *Grundriß von Buß-Predigten aus dem alten Te-
stam. gehalten.* Halle, 1755. 8. alph. 2. pl. 20.
- XLVIII. *Inuitatio ad introductionem noui Rectoris scho-
lae Helmst. Conr. Nahmmacheri.* 1756.
- XLIX. *Denkmabl der Liebe, seinen geliebten Mitarbeitern*

XXX

- am Evangelio in Helmstädt nach ihrem seeligen Abschiede gestiftet. Halle, 1757. 8.
- L. Vorrede zu D. Brandan Heinrich Gebhardi Einleitung in die XII kleinen Propheten. 1756.
- LI. *Sittenlehre Christlicher Communicanten*. Zwey Theile. Helmstädt, 1757. 8.
- LII. *Erklärung des Briefes Pauli an die Galater*. Halle, 1757. 4. alph. 3. pl. II.
- LIII. *Erklärung des Briefes Pauli an die Philipper*. ib. 1757. 4. alph. 2. pl. 19.
- LIV. *Erklärung des Briefes Pauli an die Colosser*. ib. 1758. 4. alph. 2. pl. 18.
- LV. *Christliche Sittenlehre* nach dem Zeugnisse der Heiligen Schrift. Braunfweig. 1758. 4. alph. 5. pl. 5.
- LVI. *Programma Pasch. quo potiora dubia a ueteribus Christiani nominis hostibus contra ueritatem resurrectionis Redemptoris mota examinantur et refelluntur*. 1758. 4. pl. 3.
- LVII. *Anweisung zum erbaulichen Predigen*, mit einer Vorrede und historischen Einleitung herausgegeben von M. Conrad Nahmmacher. Halle und Helmst. 1758. 8. alph. I. pl. 2.

INEDITA

- LVIII. *Oratio inauguralis, de Scepticismo exegetico*
- LIX. *Harmonia attributorum Dei in natiuitate Christi demonstrata.*
- LX. *Oratio de emendatione Academicarum.*

Ora-

- LXI. Oratio, in qua sententia libri: *de eo quod in religione* XXXI
essentiale est, examinatur.
- LXII. Or. *de periodis luctuosis Academiae Iuliae.*
- LXIII. Orat. *de praerogatiuis Academicarum antiquarum*
prae nouissimis.



1771
1772
1773
1774
1775
1776
1777
1778
1779
1780
1781
1782
1783
1784
1785
1786
1787
1788
1789
1790
1791
1792
1793
1794
1795
1796
1797
1798
1799
1800




35. Progr. in Fun. Stiliae Heinemannii, Com. Hrovnge, vnyng. 1661.
 36. Bodmereri phil. et theol. stud. 1665.
 37. Fiknadersi progr. orationis — a Braunfeldt praem. 1663.
 38. progr. in Fun. puellae An. Mariae Krohn. 1666.
 39. An. Marg. Nagleri. 1666.
 40. — — puelluli Joh. Rixneri. 1666.
 41. — — Jenelli Joh. Fr. Rixneri. 1666.
 42. — — An. Eleon. Ackeri. 1666.
 43. Carin. grat. ad Busmannum. 1667.
 44. Ode in sanitatem. 1678.
 45. Andri. Helm. Hellberg gratulantis Acad. Juliae prof. 1778.
 46. Progr. Henrici Wilschurpi. 1680.
 47. Festiv. nupt. Carl. Anoltri Drumbricht. 1678.
 48. Lat. ac debit. officium ad evadum. 1678.
 49. Pia vota adlud. Fabrum sponsorum et — Senrann. 1679.
 50. Progr. in Fun. nati. Bornemanniae, Cansmanni viduae. 1691.
 51. Progr. tot. Rempen. 1709.
 52. Progr. in Fun. An. Cath. Rineritiae, Hornesii vnyng. 1649.
 53. Progr. XII Nov. A 1693.
 54. — in Fun. An. typh. Schmerhenniae, Sitt. Theod. Ackeri vid. 1702.
 55. — Agnerae Kochner, Carp. Turberii vid. 1712.
 56. Abhandlungensatzes abguldung von Veigt.
 57. Progr. in Fun. Homburgii Sels. 1714.
 58. Catalogus scriptorum in div. acad. editorum. 1732.
 59. Progr. in Fun. Carolif phil. stud. 1757.
 60. Musurgia Topapii 1757.
 61. — Siedlii. 1758.
 62. — Laur. Heideri. 1758.
 63. De vita Frobenii. 1756.
 64. Gratia panegygr. in diem nat. pini. Friderici V, laurae et
 65. De des principato. Progr. nati. Christi natal. die. 1759.
 66. Progr. in fest. Michaelis. 1762. —


96
1233

— Nonnulla deunt —

ULB Halle 3
001 920 952







60

MEMORIA
VIRI
MAGNIFICI ET SUMME VENERABILIS
CHRISTOPHORI TIMOTHEI
SEIDELII

ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE
PRORECTORIS

SS. THEOL. D. ET PROF. PRIMARIJ SERENISS. DVCS BRVNOV.
ET LVNEB. A CONSILII ECCLESIAST. CAPITVLI IMPERIALIS
REGIO - LOTHAR. ABBATIS. SACRORVM HELMSTAD. ANTISTITIS.
ET VICINARVM ECCLES. SVPERINTENDENTIS GENERAL.
SOCIETATIS TEVTON. HELMST. PRAESIDIS

GOETTINGENSIS AC BREMENS.

SODALIS HONORARIJ

D. XXX MAII 1708
IN IPSA PVRPVRA DEFVNCTI
AVCTORITATE
PRORECTORIS ET SENATVS
ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE
PERSCRIPTA

AB

IO. CHRISTIANO WERNSDORFIO
P. P. O.

HELMSTADII
LITTERIS VID. B. SCHNOKKII